

Hieronymo recinenti tribuuntur, sed nobis una serie et *Hieronymiani* quidem loco primo decurrunt, partim prorsus evanidi, partim nihilo emendatiores, quam quidem in *Bibl. PP. Lugd. T. XXVII. p. 88.* Ego saltem *Hieronymo* nihil eorum velim impingere.

VIII. fol. 241. *Propositio Richardi archiepiscopi Ardmachani primatis bibernie facta in consistorio* — — videlicet *Avenionensi* coram Papa a. 1357. contra Mendicantes, unde et *Defensorium Curatorum* audit, et saepius editum, et a me *Vol. superiore* relatum, hic vero maximam partem humore deletum. Init: *Nolite iudicare secundum faciem &c.*

IX. fol. 250. Ejusdem *Sermo apud crucem ecclesie sancti pauli london. prima dominica XL. Anno domini M. CCC. LXI. et consecrationis ejusdem archiepiscopi A. X.* Initium: *Nemo vos seducat inanibus verbis &c.* Maximam partem evanidus, sed saepius editus, et *Vol. superiore* a me relatus, unde etiam *Chronologiae* emendatio peti potest. Ad calcem: *Hic terminantur questiones de ordinibus per manus Nycolai nomine christi.*

X. fol. 257. p. 2. *Comentum compendiosum beati Hieronimi presbiteri super Apokalipsim beati Johannis apostoli et evangeliste.* Fumus vendit Compiler hic ignotus brevissimae *Glossae*, quae incipit: *Johannes qui gratia dei interpretatur &c.*

XI. fol. 260. *Constitutio* quaedam Apostolica absque die et consule in favorem Ordinis FF. Minorum, quae incipit: *Exiit qui seminat seminare &c.* et finit: *equitatis non arcet a vetitis, compescat rigor Apostolice ultionis. Amen.* Plurimum deleta situ, et in *Bullario Rom.* non reperta est *Nicolai III. 1278.* in VI. *Decretal. L. V. Tit. 12. c. 3.*

XII. fol. 265. alia manu Fragmentum *Propositionis* ejusdem *Richardi* supra N°. VIII. adlatae ab iis verbis: *In sexto de sepulturis. Animarum periculis et scandalis que frequenter ex hijs proueniunt &c.*

XIII. fol. 269. *Nicolai de Lyra*, ut e calce praeoccupo, *Postilla in Danielelem.* Verum tantum a C. XIII. five *Susannae* Historia usque ad finem.

XIV. fol. 274. p. 2. Idem, ut rursus in calce, *super secundum librum Esdre.* Tertium nempe apocryphum: *Et fecit Josias Pascha &c.* Subscriptum ab Autore: *Actum parisiis Anno Domini M. CCC. XXX. XIII. kal. april.* Post quae et librarius nomen suum profitetur: *Per manus Vlrici de Sulzbach.* De *Lirani* Editionibus non semel dictum.

CCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec XV. R. 3022
Folior. 134. f. per duas columnas valde nitide perscriptus, rubricis distinctus, et olim, ut pluribus locis notatum, *Monasterii Sancte Dorothee in Vienna*, aliud Exemplum

1033

P A T R I S T I C I

1034

emplum est praecedentium *Petri Blesensis Epistolarum*, et quidem uberius, nam Index praemissus C. LI. recenset. Procedunt illae pulcre cum Editione supracit. usque ad Epist. 128. Dein Epistola nobis 29. *Canon Episcopalis* est, quem Editor *Guffanvillanus* inter *Opuscula* P. III. p. 447. reposuit. Epistola nobis 130. est Edit. 143. Ab Ep. 131. redit concordia us-

que ad 136. quo loco nos *Inuentiuam in quendam qui sua opera deprauabat*, habemus. Hanc Editor pariter inter *Opuscula* ad p. 455. amandarat. Ab Epistola 137. rursus coincidunt usque ad 143. quae nobis est Edit. 152. Ab Ep. nobis 144. conspiratur usque ad 151. nobis ultimam, cui subiecit *Librarius*:

Finito libro sit laus et gloria christo.

Anno &c. Nonagesimoquarto. Textum admodum paucis mendis laborare deprehendi.

CCCCXL.

R. 516 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 141. f. per duas columnas commode exaratus et rubricis distinctus continet *Petri Blesensis Archidiacon. Bathoniensis*. a. 1200. vivis exemti *Epistolas* jam superiore, et mox hoc *Vol.* a me relatas. Et praefens quidem Codex caret *Epistolis*, quae sunt Editionis *Guffanvillanae Paris. 1667.* f. ordine 128 — 30. 134. 136. 142. 146. 152. 154. 155 — 83. censet vero inter *Epistolas* n. 84. *Formam relaxandi Interdictum*, quam hic adscribo: *Eius exemplo qui curandis vulneribus oleum post vinum infudit, distractionis uirga percussum recreare te volumus manna dulcedinis, ut qui uerbera patris in correctione sensisti, uerbera matris in consolatione degustes, et in utroque suas deuotior ex deuoto. Quocirca suspensionis sententiam, quam*

in te de iuris rigore protulimus, ex benignitate gratie relaxamus, fraternitatem tuam monentes et obsecrantes in domino, quatenus talem te studeas exhibere, ut de commissio tibi pastoralitatis officio dignam deo possis reddere rationem. Censet praeterea n. 85. *Instructionem Fidei* ab *Alexandro III.* ad *Soldanum Iconii* missam, et n. 152. *Tractatum de Institutione Episcopi* a *Petro* missum *Johanni Ep. Wigornensi*, quorum illam Editio suprac. p. 431. hunc p. 447. exhibet. Demum tria continet, quae singillatim indicari merentur, et quidem

Fol. 83. p. 2. Monetur abbas relinquere abbatiam, ut episcopatum accipiat. Inscribitur Epistola 86. Neutiquam tamen Blesensis est, sed Innocentii III. Pont. Max. Audi rationem. Incipit illa: Nouariensis ecclesie necessitas nouum onus et a nobis imponi et a te suscipi persuadet, que pastoris regimine destituta cum in quenquam de suis concordare nequisset, in te demum unanimi voce conuenit ualde quidem et ad promouendum bonum sui regi-